



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses**

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Calvinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiæ, 1595**

8. Quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39447**

obedirent. Docet igitur vocem Ecclesię predicantis & docentis huiusmodi à Deo datam esse, vt ei obedire, ex eaque obedientia, fidei veritatem ac doctrinam accipere omnes debeant. Hodie hæretici Ecclesię voci non aliter obediendum censent, nisi quatenus illa cum Scriptura consentiat, hoc est, quatenus ipsorum iudicio consentire videbitur. Alioqui enim, vtrum cum Scriptura consentiat Ecclesiastica prædicatio, vnde tandem constare poterit, nisi vel ipsi ea de re iudicium ferant (quod est seipso Ecclesię iudices cõstituire) vel ipsius Ecclesię iudicio ea in re acquiescant; & sic ad Ecclesię auctoritatem obedienter suscipiendam iterum relabantur, In alijs locis hac de re plura diximus; dicemus & postea.

8. *Quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.*

Roma-  
norum  
fides.

**L**AUDAT fidem Romanorum vt toto orbe celeberrimam: de qua suo tempore Cyprianus: *Ad Romanę Ecclesię fidem Apostolico ore laudatam perfidia habere accessum non potest.* lib. 1. epist. 3. Vide D. Hieronymum in præfat. lib. 3. in epist. ad Galatas.

9. *Cui seruió in spiritu meo in Euangelio eius.*

Externa  
pietatis  
opera.

**S**ERUITUR Deo in spiritu, & adoratur Deus in spiritu (vtitur enim Apostolus verbo *ἀσπύσω*) per externa pietatis opera, vt hic Paulus